



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XV. De Sancto Rocho.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## C A P V T X V.

*De Sancto Rocho.*

**C**eleberrimā iam à multis sēculis per totam Ecclesiā memoria sancti Rochi in veneratione est: nec immerito; inter primarios enim contra luem contagiosam Tutelares si quis aliis, hic ponendus est, ob causas quæ iam mihi in calamo. Natus est in oppido Narbonensi montis Pessulanī, parentibus illustribus eiusdem oppidi dominis; neque vulgari ceterorum more, sed miraculo in lucem prodijt, ut hoc ipso magnum quid & insolitum de se præfigire videretur: rubra namque cruce insignitus ex utero matris natus est, quatenus iam ab eius ortu homines inteligerent singularem hunc fœtum futurum, & exclamare iure possēt: *Quis putas puer iste erit?* Duodecimo ætatis suæ anno parentibus orbatus, patriâ & amicis relatis, opibus amplissimis in pauperes distributis, breui & abiectâ indutus veste cum pileo & pera, ut pingitur, peregrini instar è Gallia Romam versus abiit. Aquampendentem ingressus ciuitatem Nosodochij magistro se adiunxit, vbi cunctos pestilentî contagione ad mortem usque infectos, signo Crucis integra & perfecta sanitate donauit. quod & in alijs Italiam locis præstít. Tandem post varios itinerum labores & corporis morbidas afflictiones in Galliam bellorum incendio tunc flagrantem delatus, in paterno castro ceu hostilis explorator in vincula coniicitur ad quinquennium usque proprio patruo eius domino incognitus, carceris squallores & incommoda animo semper tranquillo patientissimè sustinens; unde etiam pro obtinenda patientia solet inuocari. Hoc in loco cum mortem iam adesse sentiret & horam de statione huias vitæ abund

eundi aduentasse , sacris Ecclesiæ munitus Sacramentis  
antequam è vita excederet supplicibus admodum preci-  
bus à Domino contendit (audi hæretice , & da honorem  
Deo & Sanctis eius ) ut quicumque patrocinium eius cum  
fide postularet , à pestilenti contagione immunis permane-  
ret. Nec surdo aut in cassum fuisse preces . vitâ namque  
defuncto ad latus eius tabella reperta est hisce verbis in-  
scripta : Peste laborantes ad Rochi patrociniū configuen-  
tes contagionem illam atrocissimam euasuros significo.  
Ergo ô Christiani,

*Peste laborantes suffragia poscite Rochi;  
Spondeo, pro votis accipietis opem.*

Certè receperunt eam post mortem eius quām plurimi  
in hoc vitæ anxi discrimine constituti; vnde ubique tot ei  
facella, tot altaria, tot imagines & Christianæ pietatis mo-  
numenta sunt erēta in beneficiorum acceptorum eucha-  
risticam memoriam & accipiendorum invitatoriam sup-  
plicationē. Pingitur cum cane ad latus & nudato ac vul-  
nerato altero femore , quia Galliam repetiturus & in via  
nouâ infirmitate correptus cùm iamantè coxam sinistrâ  
lagitta esset transfixus , in eremi solitudine sub arbore se  
proiecit, hominibus quidem ignotus , sed nobilis cuius-  
dam cani Deo id agente & irrationabile animal dirigente  
probè adeò cognitus, vt is panem de domini sui mensa  
quotidie ei adferret , non secus atque Eliæ Prophetæ &  
Paulo primo Eremitæ in solitudine deserta existentibus  
& ab omni humano obsequio derelictis, quotidiano mini-  
sterio corui alimenta deterebant. Corpus eius anno  
1485. à quibusdam è Dedonensi diœcesi furtim subla-  
tum ac Venetias translatum , maximâ festiuitate à  
Senatu

Senatu Veneto cum totius populi ingenti gaudio acceptum fuit.

De hoc Sancto ita lusit sacro poëmate Iulius Cæsar Scagliiger, more suo dure satis.

*Grata Deo mens, non villo subnixa tumultu:  
 Lenior astiuæ quam piger humor aque.  
 Temperies & pacati clementia cœli  
 Dicitur à Domino totum opus esse tuum.  
 Pelle luem, sed solue metum: ne prodiga vitæ  
 Corpora Cerbereo funere victa cadant.  
 Quemq[ue] diem vexit letis aurora quadrigis,  
 Hunc latet reuehat Lucifer almus equis.  
 Hora salutiferamq[ue] salutifera occupet horam:  
 Annus & exclusa morte perennis eat.  
 Magna quidem: Sed tu maior mitissime diuum,  
 Et tibi qui dedit hæc, maximus esse solet.*

Festum eius ponitur in Röm. Martyrologio ad 16. Augusti, vbi hæc Baron. in notis: Huius res gestæ scriptæ sunt à Francisco Diedo qui scribit eū obiisse diē anno Domini 1327. anno autē 1414. innotuisse Patribus Concilij Constantiensis, quorum decreto ad propulsandam ingruentem luem eidem honores sanctis debiti, sunt impensis: nam & solemnī pompa eius imaginem omni comitante populo per urbem detulerunt. quo facto illa pestis mox evanuit. inde verò exemplum sumptum est ut vbique locorum eius venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint. ita Baron.

CAP.